

20

DISSERTATIO INAVGURALIS PHYSICO - MEDICA  
DE  
**ACIDVLIS VETERAQVEN.  
SIBVS IN SILESIA**

VVLGO

**Altwasser Sauer-Brunnen**

QVAM

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA

P R Ä S I D E

**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**

ORDINIS MEDICORVM SENIORE

h. t. DECANO

**PRO GRADV DOCTORIS**

d. Septembr. MDCCXXXI.

Publico ac placido eruditorum  
examini fistet

**SAMVEL ROHNCKE,**

VRATISLAV. SILES.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis Ioh. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

DIVISITATIS IN MAGDEBVRGAE PHINCO - MEDICIS

DB

ACDALS AETTERVQAVEN

SIBVS IN SILEXIA

ALTO

ADSIRVNTI BAVARIAE SIBVS IN SILEXIA

WACN GESCHREVEN

ADSIRVNTI BAVARIAE SIBVS IN SILEXIA

PLASTDE

DN FREDERICO HOFMANNO

GRANAE MAGDEBVRGAE SENIORIS

F. DE DECIMO

PRO GRADA DOCTORIS

APPENDICIS PROPLICIS ET SOLUTI

ET CAVITATIBUS

SAMUEL RONIGE

ARATISATI SILEXIA

HABE MAGDEBVRGAE

Typisori Christ. Hirzelri, Acad. Typogr.

AUGVSTÆ REIPVBLCÆ  
VRATISLAVIENSIS  
PRÆSIDI ILLVSTRI,  
SENATORIBVS RELIQVIS.  
SYNDICIS AC SECRETARIIS.  
MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS,  
MAXIMEQVE STRENVIS, EXCELLENTISSI-  
MIS, AMPLISSIMIS, CONSVL-  
TISSIMISQVE.

V I R I S

GENERIS ANTIQVITATE CELEBERRIMIS,  
MERITORVM IN PATRIAM MVLTITVDINE  
SPECTATISSIMIS,  
MVNERVMQVE GRAVITATE VENERABILIBVS  
MÆCENATIBVS, PATRONIS,  
FAVTORIBVS  
SINGVLARI PIETATE  
ÆTERNVM DEVENERANDIS AC SVSPICIENDIS,  
DISSERTATIO HÆC IN AVGVRALIS  
SACRA ESTO!



Vartus jam agitur annus.  
**PATRES CON-  
SCRIPTI**, ex quo  
divinæ fidens benedi-  
ctioni, Vestraque ad-

jutus munificentia, relicta patria celebre-  
rimam Fridericianam adii, virosque er-  
uditissimos audiens artem salutarem addi-  
scere alloboravi. Jam ubi ante disces-  
sum in dulce natale solum, more anti-  
quo specimen quoddam inaugurale si-  
stere publicoque eruditorum examini  
submittere deboe; & officii mei ratio,  
& beneficiorum Vestrorum, largissima  
manu in me collatorum, multitudo o-  
mnino postulat, ut illud ipsum, quod  
non aliunde, quam ex singulari Vestro  
Favore profluxit, **VOBIS** quoque  
omni qua convenit, veneratione atque

pieta-

pietate lacrum cupiam dictatumque  
Neque vero ingratum prorsus laborem  
huncce VOBIS futurum, insignis  
Vester, quo patriam amplectimini a-  
mor vel ideo sperare facit, quod circa  
thesaurum patriæ haud minium idem sit  
occupatus. Accipite ergo MÆCEN-  
ATES SVMMI, leve quidem,  
sed ingenuum devotæ gratæque mentis  
argumentum; atque firmiter tenete  
persualum, me tantæ Gratia memori-  
am per dies vitæ conservaturum. Ser-  
vet VOS, PATRES PATRIÆ,  
DEVS immortalis diu adhuc salvos  
atque incolumes, beat generosa, qui-  
bus patriæ salutem tantum non ubique  
quæratis, consilia, annuatque votis ar-  
dentissimis, quæ pro perenni splendi-  
dissimarum Familiarum Vestrarum in-

tegri-

SAMUEL SCHWARTZ

tegritate & splendore fundere nunquam  
desinam. VOS interim PATRES,  
eadem qua ablentem me prosecuti fui-  
istis, benevolentia, brevi patriam repeti-  
turum suscipite, ulteriorique patroci-  
nio fovete

ILLVSTRIVM ET MAGNIFICORVM  
NOMINVM VESTRORVM

Cultorem humillimus

SAMVEL. ROHNCKE.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
PHYSICO-MEDICA  
DE  
**ACIDVLIS VETERA-  
QVENSIBVS.**

S. I.

**I**nter innumera, quibus divina clementia præcipuas Germaniæ regiones, in salutem generis humani, beatit naturæ dona, haud postremum locum fontes foterii e terræ visceribus sponte scaturientes sibi vindicare videntur, quorum tanta vis est & efficacia, ut sine singulari accidente artis adiumento, corpus humanum non modo a morbis afflictionibus defendant, sed & præter naturam affectam valetudinem saepius in integrum restituant. Eximis & præclaris ejusmodi naturæ dotibus etiam patriam meam Silesiam frui & instructam esse in sinu merito incolæ gaudere debent: siquidem non modo calidi sed & frigidi fontes insigniter salutari virtute imbuti, liberali & multiplici vena hinc inde scaturiunt, licet longo usque eo tempore plurimi delituerint


¶ o ¶

tuerint atque etiam ab ipso SCHWENCKFELDIO diligenti rerum in Silesia naturalium scrutatore non fuerint animadversi: quorum tamen mentio in HELENII *Silesiographia recentiori* reperitur. Inter thermales Hirschbergenses in ducatu Jauroviensi, de quibus peculiaris dissertatio a Doctissimo Lipiensium Medico D.D. ADOLPHI conscripta extat, famam tuentur amplissimam: neque Landecenses in comitatu Glacensi virtute & laude inferiores sunt, de quibus collectores historiae morborum Vratislavienles Anno 1699. differentes animadvertisimus. Inter frigidas salubres & medicinali virtute donatas acidulæ in Ducatu Carniovensi, item in territorio Oberglacensi Oberlangenauer, referri merito debent: neque silentio præteriri debent salutares fontes Lignicenses, qui ut acidularum nomen non mereantur, ob martialis tamen profapiaæ ingrediens roboranem virtutem possident ac sese commendant, de quibus dissertatio duobus abhinc annis sub præsidio D.D. PRÆSIDIS a D.D. Rückert habita. Ductus vero Suidnicensis omnium maxime per Divinam providentiam hisce perficitur naturæ beneficis: singulari enim laude propter salutarem in morbis virtutem Tamhausenses & Reichenovienses eminent atque celebrantur, quorum principia & ingredientia, accuratori examine & exploratione a celeberrimis Vratislavienli Medicis D.D. NIMPTSCH & KA-NOLD, vide *Breslauische Natur- und Kunst-Geschicht*, Anno 1724, detecta apparent. Nobis tamen superiores hisce omnibus quas profert Silesia, longeque insigniores virtutes Veteraquenses possidere, in ducatu Svidnicensi extantes nostræ acidulæ vulgo Altwasser Saur-Brunnen, visæ sunt. Et id est quod ego jam præsenti inaugurali specimine, perspicuis rationibus & curate institutis experimentis, bono cum DEO, qui hisce laboribus ex alto benedicat, in salutare ægrotantium emolumennum, adstruere & evincere conabor.

§. II.

Egregii hujus salutiferi fontis efficaciam jam ante ducen-  
tos

tos annos cognitam fuisse, ex Chronicō Suidnicensi manifestum videtur, dum mentio sit salubris fontis non procul a finibus Saltzbrunnensibus jacentis, a quibus vix trecentum passibus distat. Ante annos vero sexaginta ejus fama & præclara virtus de novo innotuit cum Parenſ celebris Medici D. THYMII, qui ante triginta annos scriptum idiomate germanico, pluribus observationibus egregii refertum, de singulatim hujus fontis medicinali efficacia reliquit, in usu habuerit acidulas has frequentissimo. Videmus quoque hujus fontis in M. N. C. Dec. I. an. 10. obs. 97. a Celeberrimo Vratislavienſum Medico D. D. GRASSIO mentionem injici, qui virum nobilem contumaci vomitu & morbo ventriculi laborantem hisce acidulis integre restituit: de quo fonte hæc specialia habet idem Auctor: *barum aquarum viribus & sapore invitatus, consuebam propediem ipsum invisere fontem; & invenimus vix decem pedibus a molentino pagi Altwasser distantem, lignosa arboris excavata circumferentia inclusum: a meridi habebat colliculum graminifum & sparsim carboni fossili nigricantem, a septentrione rivum vix ulnis duabus, a scaturigine preterlabentem.* Aquam affluxu satis largo, cito crescentem gustavimus, gustus erat medicamentosus & penetrans, color vero magis lactescens, qui tamen intra horæ spatium ad pelluciditatem revertebatur. Ad computationem sauis liberalem nos invicem invitavimus, sed nulli nostrum ventriculo Neptunus hic licet hospes insuetus iniulit quicquam molestie. Reduces salutavimus fontis vicinum Dn. Casparum Thymium, artis chymicæ & rerum naturalium peritissimum, ut ejus judicium audiremus: *laudavi acidulas basę super omnes quas habet Silesia: se itaque ipsum, licet senio gravem, quotannis illarum usu frui: commendavit tandem ita, ut accusaret illos temeritatis & superstitionis, qui tantis impensis accersant Egranias, quæ tamen ob vie distantiam evaporatione virtutis spiritus & diuturna non possint non infirmari.* Addit GRASSIVS: *hanc aquarum ſeuncias tres commisſuſe cum gallæ non con-*



tusæ sed concisæ uncia, & mox colorem aquæ limpidum ver-  
sum esse in obscure violaceum. Miratus, pergit, hoc sum  
tanto magis, quod aquam hanc per septimanas decem licet in-  
corruptam in vase vitro determinuerim. Laudatus vero HENE-  
LIVS, in Silesiographia pag. 614. de fonte Altvasserano hæc  
habet singularia: Narravit mihi Cl. HELW. G, inquiens,  
*a gallis affusis, has aquas non exakte nigrum, sed obscure viola-*  
*ceum induere colorem, item a spiritu salis & vitrioli affuso,*  
*nec non a cineribus clavellatis ullam observari mutationem.*  
*Nostris, porro aut, in omnibus affectibus chronicis magnas his a-*  
*cidulis tribuunt virtutes, ac invenias quibus hæc loco potus or-*  
*dinarii sunt, & pag. 616. hæc adjicit: uinam liceret Medicis*  
*nostris & alis physice peritis rectius examinare aquas ejus-*  
*modi medicis virtutibus gravidas, ita iudicare facilius possent*  
*quibus morbis & cui agrorum constitutioni convenientiam. Prae-*  
*terrum hac in re germanis galli, & prostant observationes su-*  
*per aquas minerales diversarum provinciarum in Academia Re-*  
*gia. Præterea in laudato tractatu Medici ejusdem loci ordinarii*  
*egregiæ laudes de hoc fonte in difficultibus & contumacibus*  
*morbis sanatis recensentur, multisque testimoniis fide haud*  
*indignis id confirmatur. Neque de hisce dubitandi ullam*  
*prægnantem causam licet habeamus, nihilominus cum accu-*  
*ratori examini physico-chymico horum fontium ingredientia*  
*& a quibus eorum efficax virtus dependeat elementa, nun-*  
*quam adhuc videamus rite detecta & explorata: idque tamen*  
*ad proprias & speciales eorum vires & operationes evidenti-*  
*us & a priori ut Philosophi loquuntur demonstrandas & dilu-*  
*cidas, & valde utile & necessarium sit; operæ uti-*  
*que pretium visum fuit, cum copiam harum aquarum nobis*  
*Illustrissima Baronessa de Schwabenbergen, quæ jam ut Domi-*  
*na possidet hunc tractum ubi fons ille eximus scaturit, suffi-*  
*cientem non ita pridem concederit, accuratum examen insti-*  
*tuere atque experimenta & observata curiosis rerum natu-  
lium scrutatoribus ad dijudicandum submittere.*

§. III.

Primo itaque commemorandum est, quod fons hic in loco campestri plane amœno situm habeat, cum porrecta plantis impendentibus undique montibus clauditur, non sterilibus sed vetustis nemoribus ornatis. Scaturigo est ex loco petroso & arenoso, cuius profunditas duas cum dimidia ulnas complet, suntque duæ scaturigines superior & inferior. Intra horæ spatiū centum & ultra mensuræ aquæ instar crystalli pellucidae profluent. Inferior scatebra aquam ejusdem virtutis, sed largiori proventu eructat; cum imperu enim ex profundis instar brachii profilit: ex hoc balnea adornantur tam propter majorem ejus copiam, quam quod ejus aqua minus spirituosa est ac superior quæ calorem minime ferre potest. Aquæ hæc sub decursu, sedimentum modicum tamen coloris paulisper flavescentis instar terræ sigillatae deponunt.

## §. IV.

Hicce præmissis ordine nunc recensebimus, quæ cum hoc fonte adornavimus experimenta. Primum autem gustu eum exploravimus, ubi saporem valde penetrantem, acrem, paucum adstringentem in lingua reliquit. Alterum ad eorum specificam gravitatem explorandam a nobis institutum fuit: levitatem enim & subtilitatem aquæ nosse hoc in examine palmarium nobis ad dignoscendam salubrem indolem fert momentum. Implevimus hunc in finem vitrum satis capax aqua pluviali, idque lanci exquisitæ imposuimus, quod ponderavit viginti uncias, unam drachmam & grana decem: idem postea vitrum nostris acidulis ad idem punctum replevimus, atque in eadem lance, identidem unicas viginti, una drachma sed tantum duo grana prodierunt. Postea ponderatio alio modo, nempe cylindro statico nobis consueto suscepta fuit; cylinder vero ita est comparatus, in gradus ac drachmas distinctus ut in mensura una aquæ destillata vel pluvialis descendat ad certam lineam. Eundem itaque immisimus vitro capaci, mensura una fontis nostri replete, & cylinder ad drach-

drachmas tres eminuit, in altiore longe locum delatus. Reliquimus hoc instrumentum in aqua sine ulla turbatione per septimanam & ultra, & cum exactis tribus diebus, cylindrum rursus inspiceremus, drachmæ apparuere duæ: postea elapsis sex diebus, una tantummodo drachma in conspectum venit.

### §. V.

Injecto dein gallarum pulvere sensim paulatimque brunum induit colorem, qui tamen affuso spiritu vitrioli statim evanuit. A spiritu acido vitrioli affuso tam copiosas emisit bullulas ut mixtura incepit latescere: sub quiete tamen fuit pellicula reddita, at sapor remansit acidus.

### §. VI.

Denique ab instillata solutione argenti, item sacchari saturni, a solutione quoque mercurii sublimati, nulla plane turbatio vel mutatio secuta est, pelluciditate aquarium salva & integra permanente: neque ad mixturam olei tartari per deliquitum ulla coloris mutatio contigit, nulla lactescens vel præcipitatione facta. Cum vero mixtio facta esset cum violarum syrupo, brevi tempore pulcher viridescens color oculos pascebat. Cum lacte vaccino amicum init Connubium, nulla præcipitatione vel coagulo apparente. Postea vinum Rhenanum æquali portione cum nostro fonte commiscuimus, insimul portionem sacchari adjacentes: unde mox ingens orborta est ebullitio: cum innumerabilium bullularum in altum ascensione & evaporatione, mixtura inde in albescemem colorem abeunte.

### §. VII.

Ultimo loco libram medicam hujus fontis in ampli patinam stanneam infudimus & liberiori aëris accessui per septimanam exposuimus, postea experimenta jamjam recensita rursus cum eo, sed frustra & sine omni successu instituimus: nam perit penetrans ille sapor, & instar aquæ communis fuit, nec ulla cum vino Rhenano, nec cum spiritu minerali acido secuta fuit ebullitio aut bullularum elevatio, neque violarum syru-

■ ■ ○ ■ ■

syrupus cæruleum suum exuit colorem, sed aqua plane effe-  
ta & omni spiritu orbata leviter turbida apparuit, flocculis  
flavescensibus in fundum dimissis, qui tamen mox agitata aqua  
ascendebant. His peractis moderatori igni acidulas nostras  
in vase stanneo commisimus, & innumeræ bullæ instar per-  
larum lateribus vasis sese apposuerunt, leni vero evaporatione  
facta, ex uncii XXIV. grana tantum sex relictae materiae ob-  
tinuimus, quæ levissima insipida erat albicans, cui cum affun-  
deretur spiritus vitrioli cum levi effervescentia sapor amari-  
cans emersit,

### §. VIII.

Ex singulis hisce tentaminibus & phœnomenis abunde  
constat atque recte colligitur, has aquas inter veras acidulas  
referendas esse, ne dicam primum utique locum mereri, eo  
quod omnes & singulas notas characteristicas cum acidulis  
famigeratissimis communes obtinent: nam plurimo elemen-  
to spirituoso, quod anima fere est fontium soteriorum & ma-  
xime acidularum, abundant, ita prorsus ut non facile reperi-  
re liceat adeo spirituosum fontem ac noster est, quod largissi-  
mus bullularum proventus ad mixtionem vini Rhenani vel  
spiritus vitrioli planum atque testatum reddit. Sicut & id in-  
ter alia notatu dignum fuit, quod , cum prima vice extracto  
quo firmiter cum cera terebinthinacea ampulla orificium clau-  
sum erat, obturaculo aperiuimus vitrum, cum imperu quadam  
& ingenti bullularum ascensione vapor ascenderit, & sola trans-  
fusione hujus fontis ex uno vitro in alterum ingens bullularum  
proventus observatus fuerit. Deinceps, ut omnes acidulae nun-  
quam non cum acido effervescent, & viridescentem ad affusio-  
nem syrapi violarum induunt colorem, ita etiam id in nostris ob-  
servavimus; manifesto documento alcalini quippiam eos in fi-  
nu sovere, quod etiam lac affusum a coagulo præservat. Qua-  
re rectissime colligitur, incongrue tales medicatos fontes aci-  
dulas appellari, ut vulgaris terminus fert, cum effectum semper

B

pro-

promant alcalinum, quamdiu nempe salva & integra earum mixtio perseverat.

## §. IX.

Præterea, hæ nostræ acidulæ inter subtilem & levissimas referri merito debent, quia exiguum est, quod post evaporationem remanet, & inter alia quoque harum subtilitatem & spirituum abundantiam, hoc quod supra retulimus experimentum comprobat, dum cylinder staticus si recentes fuerint immisus superiora petiti: nam jam pridein id notavit D. D. PRÆSES & forsitan etiam primus, quod, quo spirituosiores sint aquæ minerales eo plus cylindri descensum in imum impedian. Neque causa singularis hujus phænomeni adeo occulta erit, videlicet subtile illud spirituosum aëro-æthereo-elementum, quod minerales incolit aquas expansivæ & elasticæ est indolis, vis vero elæstica, uti quam plurimis physicis & aërometricis experimentis constat, perpetuo aquæ motu gravitatis sive ponderi. Atque adeo expansiva hæc & elæstica virtus ætherei & spirituosi in aqua elementi, haud dissimili modo hydrometricam lancem sursum tenet & urget, ac salina vel terrea materia gravitatem aquis concilians ejusdem descensum impedit. Quare rectissime concluditur, quo plus ejusmodi minerales aquæ statuerat elevante eo subtiliores & usu præstantiores esse; vicissim quo minus spirituosi sunt & adscensum instrumenti impediunt, eo rudiiores minusque salutares esse censendas: inde etiam evenit quod in auras avolante spiritu dimittant instrumentum statuum.

## §. X.

Denique, quod ad commixtionem olei tartari per delium, solutionis lunæ, sacchari saturni & mercurii sublimati, nulla turbatio, mutatio in pelluciditate vel præcipitatio fuit consecuta, id puritatem aquæ, eidem scilicet nihil terrei, calcarei, nec salis communis quippiam admixtum esseclare demon-

demonstrat; quippe si hisce ingredientibus imbutæ sunt aquæ, ad harum rerum mixturam mox turbidæ fiant, lactescunt & sedimentum in fundo deponunt.

§. XI.


Postquam igitur curatiorem nostri fontis explorationem adornavimus, & diligentius quæ ejus mixturam ingrediuntur elementa perquisivimus, placet nunc phænomenorum quæ in iis animadvertisimus collationem & comparationem quandam instituere, cum illis quæ per varia tentativa, in acidulis per totam Germaniam longo usu celebratissimis, cuius generis, Schvvalbacenses & Spadanæ sunt, non ita pridem a D. D. PRÆ-SIDE observata & publica dissertatione proposita sunt, instituere, ut eo clarius nostri fontis cum illis convenientia vel etiam discrimen appareat & dilucescat. Primum vero ratio-ne saporis penetrantis quodammodo vitriolacei subadstringen-tis, qui genuinus aquarum quæ acidularum nomen tuentur, index esse solet, convenient, nec non dein in eo conspirant, quod post injectum gallæ pulverem singuli brunum colorem recipient. Tum in eo ambo æquipollent, quod neque solutio salis tar-tari, argenti, mercurii sublimati, neque sacchari saturni ad-mixta & Spadanis & Schvvalbacensibus ullam mutationem ratione pelluciditatis aut præcipitationem induxerit.

§. XII.

Atque etiam in eo convenient, quod ut in Spadanis & Schvvalbacensibus, ita etiam in nostris syrups violaceus pulchre viridem colorem conciliaverit. Neque cum Schvvalbacensibus & Spadanis ratione ebullitionis disconve-nientia est: nam in singulis largissimus, instillato spiritu vitrioli, vel admixto vino Rhenano, innumerarum ballularum adscen-dentium, subsecutus est proventus, ita tamen, ut re vera ma-jor ebullitionis gradus in nostris quam Schvvalbacensibus & minor in Spadanis fuerit a nobis spectatus. Dein in eo discrepantium nullam videre licet, quod combinatione cum

B 2

lacte



lacte nulla sequatur coagulatio, ut evenit, cum acidis, sed ambo amicum inēant connubium. Tum etiam in hisce exquisita notatur convenientia, quod accessu liberoris aëris paulo longiori, vel si calefunt, omniē saporis penetrantiam, effervescentiam cum acidis, viridem cum syrupo violarum colorem, & pelluciditatem illam crystallinam prorsus amittant.

§. XIII.

Veruntamen in eo discrepantia inter fontem Schvvalbacensem Spadanum & nostrum visa fuit, quod in hunc recentem immisso cylindro statico drachmæ tres in conspectum venerint, in Schvvalbacensi vero drachmæ due, in Spadana drachma una. Deinceps quod longe majori cum copia & impetu, vase vitro, quo exactius inclusi erant, aperito, & fonte ex uno vitro in aliud transfuso, bullulae se elevaverint in nostro quam in duobus jam dictis. Unde dijudicare haud erit difficile, nostras aquas ratione subtilitatis & spiritus, Spadanis & Schvvalbacensibus esse præferendas: ut etiam cbid, nostros exactiori cura opus habere, si in vasis ad longinquæ loca transvehi debeant, censeamus.

§. XIV.

Tum in eo quoque discrimen quoddam se sensibus offert, quod in Spadaniis & Schvvalbacensibus per injectionem pulveris gallarum ex atro brunus color saturatior, in nostris remissior sese offerat, item quod illi calefacti, præsertim Schvvalbacenses, flocculos crocei coloris majori in quantitate ac nostri dimittant: haud levi argumento, martialis principii majorem hisce inesse copiam ac nostris, quod etiam sapor paulo penetrantior, qui cum adstrictione quadam linguæ diutius inhærescit, arguere videtur: siquidem in eo quoque notabilem differentiam deprehendimus, quod ex viginti quatuor uncis fontis Spadani & Schvvalbacensis, leniori evaporata-

poratione, grana XV. terreæ saline materiæ, ex nostro fonte autem grana tantum VI. relicta fuerint.

§. XV.

Quibus omnibus ad liquidum perductis & rectius penitatis, circumspecto & ingenuo iudicio non veremur pronunciare, acidulas Vetera quenses vulgo sic dictas Althasser Sauv. Brunnen, ob summam qua pollent subtilitatem levitatem & abundantem quem custodiunt spiritum, ob minorem quoque elementi martialis, vitriolici & salini portionem, & Spadanis & Schvvalbacensibus præferendas, atque adeo temperatiores & proinde iſu tutissimos ac saluberrimos esse, quia ingentem affinitatem cum succis corporis nostri vitalibus habent, ac insuper eos fluxiles tenues, ut minimos etiam meatus atque meandros libere pertransire possint, reddunt, tonum quoque & robur solidorum non modo conservant, sed si deficiat reparant, ut adeo illi, qui œconomiam motuum vitalium, quæ functiones totius corporis integras conservat, recte intelligunt, ex facili dijudicare possint, quod hi fontes non modo securissime in quotidianum usum per totum annum ad illibatam valetudinem conservandam duci, sed & ad avertendas tam acutas quam diuturnas varii generis ægritudines, præsidium ministrare possint efficacissimum.

§. XVI.

Porro præ aliis fontibus medicatis, qui paulo valentioris sunt indolis, ut sunt Pyrmontani, Egrani, Schvvalbenses, Spadani, prærogativam quandam nostri merentur, dum illorum usus paulo majorem desiderat in rebus externis & non-naturalibus sive regimine diaetetico circumspectionem, si nempe quis iis familiariter & quotidie uti velit. Neque etiam inficiandum est, quod nostræ aquæ ciborum digestioni magis favent & patrocinentur quam aliae activioris & plus vitriolacei aut martialis indolis, quod subtili & spirituoso elemento ad alimentorum repagula intime dissolvenda & propter tenuem flu-

B 3

idum



idum ad chylosas & gelatinosas partes ex solutis alimentis extrahendum sint omnium aptissimæ. Deinceps hoc meum quoque de harum hospitalium aquarum indole est judicium, quod feliciori successu & majori utilitate in morbis, qui ex impuritate seri salsa tartarea scorbutica prognoscuntur, cuius generis sunt dolores articulares, rheumatici, nephriticæ, intestinorum spasmotici, item cephalalgici quando ex eodem fonte proveniunt, scorbutica nempe humorum diathesi, in usum adhiberi & plus præstare possint ac reliqui omnes jam memorati, & quidem ob has satis perspicuas rationes, quia jam dictæ contumaces & dolorificæ affectiones pro causa & fundamento secretoriorum & excretoriorum vasculorum quæ sunt in hepate, in glandulis & cutaneo colatorio, obstructiōnem agnoscent, hæc autem a spissescientia humorum tardiori que motu & progreſſu originem suam trahit.

### §. XVII.

In cutis morbis ac vitiis, cuius generis sunt erysipelas, pustulæ, exulcerationes & scabiosæ ac herpeticæ defecationes feliciter abigendis & sanandis haud postremum nostri sibi fontes vindicare locum videntur: horum enim morborum ortum & causam si speiemus, a sero spissæ excrementitio acris causticæ facultatis per congrua emunctoria non excluso eos proficiisci, nullum est dubium. Et quemadmodum omnia, quæ humorum acrimoniam temperant, diluunt, demulcent atque excretoria occlusa referant, & porro etiam humorem peccantem per renes ceu convenientissimum emunctoriū secernunt, in hisce affectibus sunt indicatissima: ita, quia has omnes facultates nostræ aquæ complectuntur, eas magno in illis debellandis usui esse rectissime colligitur. Acedit etiam illud, quod temperatores eiusmodi aquæ minerales in eo, præ aliis ad hujus generis ægritudines, quæ a tota humorum massa depravata proveniunt tollendas, meliorem & certiorem promittant efficiaciam,

caciam, quod majori quotidie in quantitate & longiori tempore iis utiliceat, idque ad depurandam universam corruptam humorum massam summe necessarium est.

### §. XVIII.

Et quoniam nostri fontes operationes suas non tam per alvum colluviem vitiosorum humorum ex intefinis expurgando, sed potius per renes copiam seri salfo-tartarei educendo, exerunt, in affectibus renum ac vesicæ & sanandis & lenientis exoptatissimo esse præsidio & adjumento haud abs re colligitur. Est renum affectus, senioribus & ubi plerhora urget, familiarissimus & satis contumax, qui tamen rarius a Medicis rectus cognoscitur, nempe dolor & spasmus nephriticus qui non a calculo in ureteribus hærente, sed ab infarctu renum sanguineo oboritur, & hisce signis sese prodit: dolor gravis cum vehementi compressione imo ardore, in dorso paulo nothis costis altior existit, ejusque tractus usque ad præcordia, quæ constringit & ubi maximam parit anxietatem, pertingit ac hominem valde fatigat, atque cum extremorum frigore certi interdum horis præsertim noctu redit; adest simul nausea, inclinatio ad vomitum, venter arcte comprimitur, inflatur & dolore premitur, urina sub paroxysmo tenuis & aquosa mingitur, pauca tamen in quantitate: quiete vero dolore magis rubra crassa & mucosa fertur, sed nihil concrementi calculosi in eo observatur. Ejusmodi in casibus præter sanguinis missionem in forminis post quinquagesimum annum, si corripiuntur, usum acidularum temperatarum, quales sunt Wildungenses, Sedlicenses D.D. PRÆSES, paulo diutius continuatum semper invenit utilissimum: unde si recte ab inductione & similitudine, judicare licet, nostros fontes decenti usu in dicto affectu utilissimas fore rectissime concluditur. Et quia ex tali præcedente renum morbosa afflicatione & dispositione leviter inflammatoria, calculorum renalium

um ortus & generatio, tandem emergit & proficiscitur, ut alibi id D.D. PRÆSES dilucide deduxit: ea dere recte judicamus, quod nostris fontibus, præservatricem a calculo renum virtutem adscribamus.

### §. XIX.

In ipso etiam atroci, quod renum calculus, si per angustias urinarias vias iter adversus vesicam affectat, inferre solet, tormento, & quod cum dolorificis atque acerbis spasmodicis strictruris partium vicinarum ventriculi, diaphragmatis, intestinorum & ureterum nunquam non solet esse coniunctum, mitigando & sublevando, sicuti balnea aquæ dulcis & potus largior liquidorum diluentium, temperantium & strictas vias relaxantium, ut sunt seri lactis, fontis Selterani, infusorum Theiformium, ex herba veronicae, radice glyzirrhizæ, summatibus millefolii, desideratissimum levamen afferunt: ita sapiens & peritus Medicus etiam de nostris fontibus id juste & recte dijudicare non dubitabit, eo quod, ex similibus causis & mediis, similes effectus producantur.

### §. XX.

In mictus difficultate urinæque retentione, sive ea a spastica tubolorum nervosorum qui vehunt urinam strictrura, sive ab amurca tenaci & tartarea, quæ infarctum & obstructionem in illis parit, vel a cruento post mictum sanguineum proveniat, nostrum fontem usu interno & externo saluberrimum fore, nemo facile erit, qui causam addubitandi habeat, nisi qui plane in morborum causis & remediorum viribus ac principiis agendi investigandis rudis ac minus exercitatus est,

### §. XXI.

Hisce deductis videndum iam est, num etiam insignis in pulmonum morbis ab usu nostrorum fontium possit effectus sperari, Minerales aquas inque primis acidulas pulmonum morbis quam maxime esse infestas, propter vitriolaceam & adstrin-

adstringentem facultatem, communis est Medicorum sententia : sed ad recte dissolvendum hoc problema, dicimus, & differre inter se aquas minerales & discrepare etiam pectoris morbos eorumque causas & symptomata ; unde limitatione quadam opus esse facile quisque videbit. Ecquis enim, ubi magna pulmonum exulceratio adeat, ubi illi vomicis & duris tuberculis obseSSI, putredine consumti vel fistulosis ac scirrhosis scatent anfractibus, ubi difficilis etiam & convulsiva, ex aquis in thorace stagnantibus vel a polypo pulmonum vasis inhærescente, est spiratio , vel ex polypo coagulo hæmoptysis oritur, curam cum eiusmodi mineralibus aquis suscipiendam facile suadebit. Si vero morbi pectoris, ut ruffis chronicâ cum magna expectoratione conjuncta, spirandi difficultas cum lento calore, & ubi metus phthiseos, ab atonia est, ab infarctu pulmonum, a defluxionibus salsis acribus, ab excretionibus, quæ fiant per alvum, per urinam, per cutim suppressis, proficiuntur. D.D. PRÆSES præter sanguinis missionem, potu aquarum temperatarum salubrium, ut Wildungenium, Selteranarum, præsertim quando cum dimidia parte lactis inque primis alsinini miscentur, nihil utilius, nihilque præsentius inventi : & cum nostri propter subtilitatem & spirituum copiam, fontibus jam memoratis longe appareant præstantiores, nullus facile erit, qui de simili vel eodem effectu cum ratione sufficienti ambigere possit.

### §. XXII.

Serum lactis vaccini vel caprini, nostro præparatum modo, dulce, quam incomparabile auxilium & levamen in seborbutica humorum diathesi corrigenda & ex hac pullulantibus morbis, scabie, lepra, gutta Serena, in rheumatismis, arthritide, in diarrhoeis, colica biliosa renunque virtutis afferat atque præstet, ii optime norunt, qui frequenti usu, hujus remedii vires perspectas & exploratas habent ; quam in rem legi potest. *Dissertatio D.D. PRÆSIDIS de seri lactis virtute longe saluberrima.* Si quis vero hujus seri lactis efficaciam

C

longe

longe eximiorem reddere cupit, quod sit si recens lac evaporatione incoctum, non in aqua simplici, sed in ejusmodi medicinali rursus dissolvatur & transcolatione a coagulo caseoso & liberetur, is utique in jam dictis morbis usum ejus atque efficaciam in morbis animadverteret multo præstantiorem.

§. XXIII.

Præter jam dictos & laudatos insignes & utiles in mendendi arte fontis a nobis examinati effectus, nec ille reticendus videtur, quod in omni febrili æstu temperando, cuiuscunque sit generis & ex quacunque causa proveniat, pro potu vix eo reperiri possit quicquam accommodatius. Nam uti potus aquæ frigidus summum est, si quis recte eo uti scit, & generosum remedium, præsertim pro interno depauperante æstu compescendo, pro lenienda siti, pro reparando partium solidarum a calore & siccitate delassatarum robore, præsertim in febribus billosis, ardentibus, tertiana quoque, dum somnum etiam reddit & sudore vitiosam morbi causam discutit; uti id clare & sūfus in dissertatione *de salubritate potus frigidis* a D.D. PRÆSIDE demonstratum est: ita longe major & præstabilior in iisdem affectibus, a potu modice frigido sed sufficiente nostri fontis, sperandus erit effectus, præsertim si adjecto syrupo acetositatis citri, berberum aut rubi idæi, gratiæ & ad refocillandas vires, nimirumque sanguinis ebullitionem deprimendam, aptior reddatur.

§. XXIV.

Reliquum nunc est, ut etiam dispiciamus, num ejusmodi aquarum potus cum bono & fructu ægrorantium in pathematis ac motibus convulsivis & epilepticis ad usum proponi & commendari possit. Jam vero ad causas ejusmodi affectionum si felicem & desideratam eorum sanationem nobis polliceri velimus, advertendum esse, extra omne dubitationis punctum, est constitutum, cum non quodvis remedium compluribus & diversis morbi causis respondeat. Sed nos id ingenue fateri possumus, si quis sano alias & vegeto corpore, visceribus

bus adhuc integris, ex improviso a gravi terrore, vehementi ira, vel alia mentis forti commotione, vel a suscep<sup>t</sup>to in præcordiis frigore, quod s<sup>a</sup>pius evenit, in corporibus etate puerilibus, qua<sup>e</sup> spongioso habitu succis repleto gaudent, convulsivis epilepticis motibus repente adfigatur, ad eos compescendos imo ex toto abigendos, solo aquæ simplicis puræ item ejusmodi aquæ mineralis potu frigido, cum vel fine lacte paulo diutius usurpatu, vix præsidium certius & efficacius reperiri.

### §. XXV.

Ita ante paucas septimanas, ad atroces epilepticas artuum tractiones & motiones compescendas, in Studio<sup>s</sup>o, qui singulis diebus, per tres fere septimanas, immanes & spectatu horribiles vel decem habuit acceſſiones, aquæ frigidæ puræ simplicis loco cerevisiæ potum, mitioribus infimul vesicatoriis pedibus applicatis, nec non largiori instituta sanguinis missione, D. D. PRÆSES felici successu adhibuit, ægro plenarie per DEI gratiam restituto. Quod si itaque in simplicis aquæ frigidæ potu, tam incomparabiles in epileptico malo fedando latitant vires & facultates, quidni virtute & efficacia adhuc superiores a spirituosa & subtili aqua expectandæ erunt. Præterea in pertinacibus capitis doloribus, neque minus in deliriis, qua<sup>e</sup> ex vasorum cerebri oppletione vel infarctu, a sanguine copiose ibi congeſto nascuntur, sicuti alii minerales & salutares fontes in medendo magnum ferunt momentum, ita nostros eandem obtinere efficaciam iuste & recte concludimus.

### §. XXVI.

Igitur, quamvis propria experientia, quid speciatim in medendo valeant vel præstare possint nostræ laudatae & exploratae acidulæ, destituamur; sed tamen, quia per industriam rerum naturalium mechanico-chymico-physicam & experimentalem tractationem, ad tale fastigium, rationalis medicina, per DEI gratiam nostro tempore evecta est, ut a priori per vafia tentamina & experimenta, cuiusvis remedii

C 2

ad



ad medendum apti indolem atque principia, vires & facultates, quid nimurum præstare vel minus possit, vere & recte definire & determinare valeamus, quas postea, attenta & cum discretione instituta experientia confirmat, causam omnino habemus strictas, quare de nobilis hujus doctrinæ rationalis sive theoriarum usu juste gloriari possimus.

### §. XXVII.

Interea non sicco plane pede præterire debemus, quod salutaris nostri fontis egregiæ in sanando virtutes ac vires, ante aliquot jam lustra, & nonnullis Medicis & aliis quoque rerum naturalium industriis scrutatoribus cognitæ atque perspectæ fuerint. Atque inter alia, supra citata Clarissimi GRASSII in M. N. C. descripta observatio, id planum atque testatum reddit. Harum enim acidularum potu, vir nobilis, insigni & contumaci ventriculi dolore, cum maxima & præcordiali anxietate, continuo vomitu, ægra spiratione coniuncto laborans, in integrum restitutus est. Præterea prostat Germanico idiomate, a Medico B. THYMIO in vicinia hujus fontis praxin exercente, conscriptus ante aliquot annos tractatus, in quo certe plures notatu per quam dignæ historiarum morborum recensentur, qui harum aquarum convenienti usum tam interno quam externo sanati fuerunt felicissime; inque prius ibi mentio fit, quod dolores arthritici, rheumatici, ischiatrici, artuum contracturæ, oedematosi a male curatis epidemias febribus provenientes, corporis tumores, lentæque febres hospitalibus hisce aquis penitus discussi & sublati fuerint. Extant quoque in eodem tractatu duæ epistolaæ lectu non indignæ, a duobus celebribus Medicis D. R. TSCHKE Præfato in urbe Lissa Poloniæ & D. Süssenbach Præfato Hirschbergensi conscriptæ, in quibus hisce aquis magnæ laudes, in mania, in profluviis sanguinis nimiis, asthmate, arthritide, topheisq; sanandis tribuuntur: atque optat laudatus D. Süssenbach ut curatori examine chymico horum fontium ingredientia paulo clarius quisquam eruere & evolvere velit.


### §. XXVIII.

## §. XXVIII.

Neque reticendæ erunt literæ a Celeberrimo Archiatro  
D.D. EGGERDES ad Perillustrem Baronessem de Schwan-  
nenberg datae & ab Ipsi mecum communicatae, in quibus lau-  
datissimus hic vir bona fide testimonium de harum aquarum  
salubritate exhibet, nimurum quod hic fons inter thesauros  
rerum salubrium & naturalium Silesiae sit merito reponen-  
dus, propter incomparabiles quos ipse expertus est in gravi-  
bus morbis personatis in compluribus ægrotis, effectus, &  
satis scite & perite adjicit, quod princeps & primaria hujus  
fontis virtus a spiritu minerali copiosiori, nec non a subtilis-  
simo Martis croco repetetura sit, quippe etiam ob summam in  
usu securitatem & salubritatem, omnibus fere aliis Germaniae  
mineralibus aquis, nostras anteponit.

## §. XXIX.

Cum de usu harum aquarum interno satis abundeque à  
nobis dictum fuerit, & tractationis ordo & instituti quoque  
ratio poscit, ut etiam de usu ejus externo, qui fit per balnea,  
sententiam nostram promamus. Scriptor Germanici tracta-  
tus, mirifice, balnei cum hoc fonte instituti in morbis sexus  
sequioris insignes usus commendat, quin, in quibusdam casi-  
bus usui interno præfert. Atque id in genere etiam & in-  
genue mihi fatendum est, quod & tuitionem & præstantiorem  
perpetuo fere aquarum mineralium usum per balnea exter-  
num, in foeminarum quam virilis sexus morbis deprehendi-  
rim, eo quod illarum graves & diuturnæ ægritudines potissi-  
mum a mensium & uteri vicio, segniore quoque ac impedito  
sanguinis per hunc & imi ventris viscera circuitu, maxima  
parte dependeant: accedit quod mulierum morbosæ afflic-  
tiones semper sint spasmodicae. Quid autem balnea moderate  
calida, tempore suo constrictas nervosas partes relaxando, ob-  
structa vasa referando, humores spissos fluidos fervando eo-  
rumque circuitum promovendo, in ejusmodi morbis præstare  
valeant, & ipsis mulierculis & Medicis peritis non amplius



obscurum est. In eodem quoque tractatu eximiae balneorum virtutes in contracturis, in tophis podagriscis solvendis, in doloribus ex calculo sopiaendis, tumoribus artuum discutiendis, deprædicantur.

### §. XXX.

Neque ulla de hisce dubitandi ratio subest, quia aquæ valde leves & spirituosæ quales nostræ, meo quidem iudicio & experientia, mirabiles, in balneis si quis recte uti sciat, effectus exerere solent. Thermarum Tceplicensium summa & plane incomparabilis, in contumacibus etiam morbis oppugnandis, per balneum efficacia per totum orbem celebratissima est, & hæc unice à puritate & penetranti subtilitate, quia manifesto principio minerali carent, venit deducenda; atqne ob eandem etiam rationem cum aqua Piperina vulgo Pfeffer-Bad instituta balnea, tam mirabilem exerunt in gravibus tam internis quam externis morbis tollendis, effectum: nam tales subtiliores aquæ prompte & intime minima vasorum & pororum subeunt, & facile etiam per emunctoria transeunt, neque minus ad dissolvendas mucidas crassas partes, impuras salinas detergendas atque e corpore evehendas, usui interno valde idoneæ sunt. Præterea usu externo duras & constrictas partes emolliunt, relaxant, poros aperiunt & liberiorem sanguinis & humorum affluxum ad partes invitant, eoque in medendo magnum præstare possunt auxilium.

### §. XXXI.

Postquam igitur hujus præclarri fontis Veteraquensis magnæ efficaciæ elementa atque principia, quæ eius mixtionem ingrediuntur, multis argumentis & experimentis deteximus, ejusque securum & præstantem usum tam internum quam externum in balneis, per firma ratiocinia atque aliorum constantem experientiam stabilivimus; nihil jam amplius restare videtur, quam ut Medici Silesiæ, fama atque arte celebres & auctoritate eminentes, in multorum misere ægrotantium levamen atque solatum, frequentiorem quam antea factum est.

est, has nostras aquas in usum adducant atque commendent, insimul pluribus probe notatis observationibus atque ulteriore experientia, ejus vires ac facultates stabiliant atque corraborent.

S. XXXII.

Vltimo loco id unum adhuc annexetere & monere volui, quod ad ipsum fontem, harum aquarum usus tam internus quam externus mihi magis probetur atque arrideat, ac si ad exteriores regiones transportetur: nam ejusmodi spirituosa aqua dum magna cura adhibita debent in vasis custodiri, ne spirituosa elementum avolet, metus sane est, ne calore externo accedente, si firmiter vasis inclusae fuerint, ea diffingantur.

---

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
 S. P. D.  
 PRÆSES.

**Q**uod pro themate inaugurali ventilando accuratius aciduli Veteraquensis in Silesia fontis, usque eo valde neglecti examen feligere volueris, id sane fuit egregium & laude dignum propositum. Atque eo ipso cum multis chymico-physicis experimentis hujus genuina elementa & vires eruere annifus es, clare commenstras, TE in Academia nostra, in qua triennium & ultra degisti, non alienis & a doctrina medica remotis, in que praxi nullius usus innuritum esse fundamentis, sed potius firmis & solidis, que ex anatomia, ex physica & chymia experimental, natura, legibus & effectibus motuum, que scirissime hodie me-

cha-

chanica, ab experientissimis & judicij acumine prædictis Medicis & Philosophis dicuntur principia petuntur, esse instructum, utpote quæ sola ad res difficiles in theoria Medica perspicue explicandas & demonstrandas, latentes remediorum effectus detegendos & ad methodum medendi prudenter instruendam opta & accommodata sunt. In luculentiorem hujus asserti confirmationem minerales aquæ exemplo esse possunt, quarum vera ingredientia, facultates, vires & operationes, per plurima secula delituerunt, siquidem nullibi magis ac in hisce explorandis Medici defecerunt. Neque alia hujus rei in proclivi est causa, quam quod Philosophia rerum naturalium ex segmentis tantum & terminis confusa erat, quibus nihil explicari, cum quibus nihil connecti vel demonstrari potuit, imbuui erant, vera autem experimentali physico-chymico-mechanica caruerunt. TE itaque Clarissime DOMINE CANDIDATE! felicem prædico quod in nostra Academia nil nisi utiles & fructuosas veritates TIBI comparaveris. Atque si metiar in secessam TVAM in rebus utilibus addiscendis industriam, TVVM ingenii robur si expendam, non possum, quin patriæ & publicæ rei multa bona de TE prolixe pollicear. Affiduus fuisti, in prelectionibus nostris physico-mechanicis experimentalibus, chymicis, practicis clinicis, dieteticis, noster Auditor, nec quicquam prætermisisti, quod ad solidam comparandam physico-medicam scientiam pertinet. Et quia cum eruditione pietatem, modestium & morum integritatem conjunctam possides, quarum prima DEO, altera hominibus placet, nihil dubium est, quin publico bono atque emolumenio, & patria & miseri ægrotantes, uberrimum tandem a TVIS profectibus usum & fructum possint repetrere. Vale!

Dabam Halæ Ao. M DCC XXXI.

d. XXVIII. Sept.

NB. pag. 6. lin. 4. pro Laudatus vero Henelius in Silesiographia  
lege Scholia stes vero Henelii in notis ad Silesiographiam.

Ül 923

ULB Halle  
004 179 358

3




SB

Nov 4 1991

Retr. ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24



IS PHYSICO - MEDICA

# TERAQVEN. SILESIA

er-Brunnen

INA GRATIA

DE

HOFFMANNO

VM SENIORE

DOCTORIS

MDCCXXXI.

eruditorum

et

HNCKE,

SILES.

VRGICÆ

RI, Acad. Typogr.

B./G.

Black

White

Magenta

Red

Cyan

Green

Yellow

Blue

Centimetres  
Inches

1      2      3      4      5      6      7      8      9      10      11      12      13      14      15      16      17      18      19      20

